

et in casibus per sacra canonum statuta præscriptis, cum debita Apostolicæ hujus sanctæ Sedis reverentia, a quadragesimali jejunio dispensationem toties quoties opus fuerit concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec superbe et arroganter ab Ecclesia, sicuti alibi in more positum esse accepimus, esse postulandam. »

Porro nos hanc normam secuti sumus, cum multitudinem, veluti populum, aut civitatem integram Quadragesimali abstinentia immunem declaravimus. In primis Loci episcopus id postulare a nobis debuit, ac de gravissima urgentique necessitate suum testimonium interponere. Deinde carnes minime permissæ fuerunt, si lactis et ovorum usus satis esse videretur. Tum vero facultas edendi carnes tribui solum consuevit, cum, interposito episcopi testimonio, id omnino necessarium judicaretur, nec sufficiens necessitati remedium afferri constaret si ova solum et lacticia concederentur. Quoties autem abstinentia Quadragesimæ nostra auctoritate soluta fuit, certos tamen dies præscripsimus quibus integra abstinentia servaretur, nempe diem Cinerum, dies Quatuor Temporum, vigiliis præcepto obeundas, dies Majoris Hebdomadæ a Dominica Palmarum. Quandoque recensimus etiam totam hebdomadam Cinerum. Aliquando etiam indiximus abstinentiam feriis sextis ac Sabbatis, etiamsi facultas a nobis tradita lactis et ovorum usum solum completeretur. Postremo etiam conditionem semper addidimus, ne jejunii lex unius per diem comestionis ullo modo violaretur, ac ne simul in mensa carnes et pisces apponerentur.

Dum rationem hujus consilii nostri serio perpendimus, haud plane acquiescimus, ob eam sollicitudinem ac dubitationem, ne causa ab episcopo loci prolata, quam nos legitimam credimus ad solvendam Quadragesimæ abstinentiam, ejus naturæ fortasse non sit quæ veram et urgentem necessitatem contineat. Quippe illud nobis semper ante oculos propositum habuimus, ut nihil a ratione alienum, nihil inconsulto ac temere faciamus. Hærent pariter animo defixa sancti Bernardi verba ad pontificem Eugenium, lib. III, de Consideratione, cap. 4: « Facitis hoc quia potestis; sed utrum debeatis, quæsitum est, et quomodo. » Attamen fidem præstitimus iis quibus præstanda fuerat, episcopis nempe Locorum. Non enim alio pacto exerceri potest sollicitudo peculiarium ecclesiarum ac diocesium, nisi fides habeatur episcopis a quibus illæ administrantur; sed in posterum, ut gravissimum hoc negotium tutius quam fieri possit, geratur, molestum vobis non sit animum iis advertere quæ subjicimus.

Non ignoratis ab Innocentio III prædecessore nostro, cap. *Consilium de observatione jejuniorum*, inter causas legitimas solvendi abstinentiam a carnibus jejunii tempore, recenseri veram et existentem reipsa ægritudinem: « Præterea de illis, qui in Quadragesima vel in aliis jejuniis solemnibus infirmantur,

et petunt sibi esum carniū indulgeri, respondemus: Quod cum non subiaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cum urgente necessitate exigit, supportare potes et debes, ut majus periculum in eis evitetur. » Idem statuerant, multo ante Innocentium III, Patres octavi concilii Toletani, Canon. 9, quod anno 653 celebratum fuit: « Quisquis absque inevitabili necessitate atque fragilitatis evidentis languore, seu etiam ætatis impossibilitate, diebus Quadragesimæ esum carniū præsumperit attentare, non solum erit reus resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione.... Illi vero quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant quam a sacerdote permissum accipiant. »

Nemo est qui non intelligat hujusmodi causas satis esse ut aliqui a jejunii legibus et abstinentia immunes existimentur; non autem ut populus vel integra civitas idem privilegium obtineat. Quis enim sibi persuadere possit cives universos alicujus urbis vel diocesis eodem tempore gravissimo morbo teneri, vel in eodem discrimine versari omnes ut periculosam ægritudinem contrahant? Nisi eos morbos intelligamus qui ab aeris intemperie vel infectione promanant, de quibus paulo post verba faciemus, quis credat unquam populum universum alicujus diocesis, vel communi languore penitus extenuatum, vel extrema senectute confectum?

Neque vero causa sufficiens habenda est ut aliqua civitas vel populus abstinentia quadragesimali liberetur, ipsique carnes permittantur, si forte pisces vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim urbes habent egenos cives ita etiam opulentos, e quibus etiam alii vitæ sustentationem labore ac sudore sibi comparant, alii vero patrimonio ac divitiis satis superque abundant. Itaque si emendis piscibus grave pretium solvendum sit, id quidem egenis civibus, non vero divitibus suffragatur. Id asserunt etiam nonnulli theologi haud severioris disciplinæ, quorum sententiam recensimus capit. 9 libri tertii nostrarum Institutionum, quas Bononiæ typis impressimus.

Illud etiam inane commentum prorsus existimari debet, solvendas esse abstinentia Quadragesimæ civitates, vel dioceses ubi exercitus versantur eo quod milites in iis locis permanentes abstinentiæ leges minime observant. Id potius animos civium inflammare deberet ad jejunium rite religioseque suscipiendum, ut nempe milites, tanta virtute temperantiæ permoti, ipsorum exemplum sequantur. Illud solum pro legitima causa in medium proferri potest, copias militum tantam afferre civitati penuriam herbarum atque olei, licet Quadragesimæ jejunio non obtemperent, ut harum rerum pretia summo opere augeantur. Tunc autem eadem statuenda sunt quæ paulo ante diximus, cum pisces et ova cariori pretio comparantur. Igitur peculiare morbi, quamvis frequentes, in posterum pro causa solvendæ abstinentiæ

non adducantur, nisi forte civibus universis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem: neque in posterum herbarum, olei, piscium, et ovorum pretia tanti ponderis esse censeantur, ut omnis civitas, vel diocesis ab instituto Quadragesimæ jejunio ac temperantia liberari contendat. Quod si veras ac legitimas a nobis eas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potissimum percensebimus, quarum prima ex jure canonico, altera vero ab ipsa rerum magistra experientia, deprompta est.

Innocentius III, quem superius nominavimus, eodem cap. *Consilium de observatione jejuniorum*, archiepiscopo Bracarensi postulanti qua pœna plectendos judicaret illos qui tempore Quadragesimæ a carnibus non abstinuerant ob summam rerum caritatem et angustiam, ita ut plures fame enecarentur, respondit his verbis: « Cum autem quæsieris, quæ sit illis pœnitentia injungenda qui diebus quadragesimalibus, tempore quotantæ famis inedia ingruebat; quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti respondemus quod in tali articulo illos non credimus puniendos; preces tamen Domino pro illis et cum illis effundas, ne ipsis aliquatenus impetetur, quia bonarum mentium est ibi timere culpam ubi culpa minime reperitur. » Si quis hoc tempore episcopus adductus exemplo Bracarensis antistitis idem consilium peteret a Sede Apostolica, tanquam ineptus ac simplex haberetur. Sed illo Ecclesiæ felicissimo sæculo maxime pendebatur, ut æquum est, Quadragesimæ præceptum. Hinc magna severitate inquirebantur illi qui minime paruisset, licet talis causa intercederet ut liberi ab eodem præcepto viderentur, nec ulla ratio habebatur virorum principum, licet ipsorum incolumitas cum reipublicæ felicitate conjuncta putaretur, uti nos fuse ostendimus in decima nostrarum Institutionum libri primi; sed iis omissis et aliis bene multis quæ in hanc rem a nobis congeri possent illud primum delibabimus ex responso Innocentii III, tunc Quadragesimæ abstinentia solvi posse integram civitatem vel diocesim, cum reipsa non suppetunt ea, sine quibus præceptum Quadragesimæ observari nequit; itaque si revera in aliquo loco, neque oleum neque pisces comparari possint, tunc incolis ejusdem loci permitti fas est ut lacte et ovis utantur; si hæc autem revera deficiant, tunc carnis, salubris tamen, edendæ facultas concedatur, interposita semper servandi jejunii conditione.

Insula Sancti Dominici in America meridionali in temporalibus paret charissimo in Christo filio nostro Ludovico Gallorum regi Christianissimo, neque ullus ei præest episcopus. Præfectus Patrum Societatis Jesu anno 1742 a nobis quæsit; an ex concessione sibi facta a Sede Apostolica dispensandi super esu carniū, ovorum et lacticiniorum tempore jejuniorum et Quadragesimæ, dici posset sibi etiam datam fuisse facultatem dispensandi, nedum particulares

personas, sed etiam multitudinem hominum, et omnes sui districtus incolas, quando coram Deo id expedire judicasset: habitoque responso facultatem ei fuisse concessam dispensationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, et omnibus incolis sui districtus, pro concessione exoravit. Pro causa exposuit veneficam piscium qualitatem, exiguum piscatorum numerum, qui longe ab insula piscantes, pisces deferebant aut fetentes, aut corruptos ob nimios calores, paupertatem earum gentium, quæ oleum emere non poterant pro cibis quadragesimalibus necessarium, deficientiam denique olerum et leguminum, quæ in ea regione facile corrumpuntur, aut a vermibus consumuntur. Re subinde mature discussa coram nobis in congregatione generali sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis, die 12 Aprilis, anno 1742; habita ratione regionis nimis remotæ, a qua quolibet anno impossibilis erat ad S. Sedem Apostolicam recursus; indulgentes necessitati fidelium degentium in insulis regionis Gallicæ in America, facultatem concessimus præfectis missionum illarum partium, in casu veræ et ineluctabilis necessitatis, et tantum de anno in annum, præfataque vera necessitate durante, et non aliter nec alio modo, ut possent et valerent cum fidelibus populis ipsorum regimini commissis dispensare super esu ovorum et lacticiniorum, ac etiam carniū, tempore quadragesimali, indicta simul cum hujusmodi dispensatione observantia jejunii per unicam comestionem, onerataque prædictorum præfectorum conscientia, si adamussim juxta præscriptum concessa facultate usi non fuissent.

Sed jam ad experientiam deveniamus. Quindecim abhinc annis per totam fere Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen ut ex una civitate in aliam, et ex una provincia in aliam hæc funesta lues promanaret; id contingit ann. 1730, 1733, 1740. Licet autem morbus ejusmodi, qui universos hominum ordines atque ætates corripiebat, lentam solum in pectore inflammationem excitaret, tamen sensibus matura jam ætate debilitatis extremam afferebat perniciem, nam ex ipso febres acutissimæ ac mortales sequebantur. Idem morbus in periculum trahebat juniores etiam, qui paululum infirmo pectore laborarent. Postremo multorum pectora adeo labefactavit, ut deinde gravissima mala provenerint. Alios quoque morbos hujus generis pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, ægros in discrimen vitæ adduxisse, medici scriptores luculenter testantur.

Itaque si medicinæ professores acciti, monitique graviter ut nihil a veritate alienum respondeant, unanimes consensu fateantur (uti nobis accidit cum adhuc Bononiæ versaremur) morbum esse talis naturæ qualem superius commemoravimus, ita ut nulla ætas libera et incolumis esse queat, et affirmet illis ipsis qui inter cives salvi et integri numerantur eandem perniciem immi-

nere; id præterea conferre plurimum ad hujusmodi luem depellendam aut evitandam, si tum ægrotantes, tum sani a piscibus et oleo et quandoque pariter a lacte et ovis abstineant, si, inquam, res ita se habeat, tum procul dubio causa sufficiens judicanda est, quæ experientiæ innititur, et quæ semper probata et in posterum probanda videtur, ut nempe populus seu civitas integra a carnibus abstinendi præcepto non teneatur.

Neque ulla difficultas remove vos debet a consulendis medicis qui præstantiores habeantur. Cavendum pariter ut quidquid revera senserint, scripto testari non præmittant; quæ conditio si desit, in posterum nulla unquam facultas civitati aut diœcesi carnibus aut lacticiis vescendi tempore Quadragesimæ tribuetur: quippe id necessarium omnino videtur. Accedit etiam quod medici facilitate quadam incredibili peculiaribus quidem cives a Quadragesimæ præcepto liberos et immunes decernere soleant (qua de re gravissime monendi a vobis sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent): cum vero pro universis civibus idem statuendum proponitur, tum se difficiles, anxios, ac sollicitos præstare nos ipsi experti sumus. Postremo si velint percurrere ea quæ in Italia et extra ipsam præclarissimi auctores medici typis evulgarunt, facile deprehendent abstinentiam ciborumque parcimoniam ab illis magnopere commendari, discrimen inter morbos constitui, et certis rationibus ostendi in curandis quibusdam morbis nequaquam requiri ut jusculum et carnes loco piscium, olei et herbarum, substituantur; in aliis vero juvare plurimum, si sublatis carnibus, cum indicitur jejunium, oleo vel lacte ægrotantes utantur. Demum advertent quam diligenter accurateque scribant de pectoris incommodis, cum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem morbo qui adhuc incolumes a communi lue supersunt.

Hæc vobis indicanda putavimus. Reliquum est ut vos hortemur ne tam facile suscipiatis negotium petendæ facultatis utendi carnibus, et lacticiis tempore Quadragesimæ, pro universa civitate vel diœcesi. Quippe abrupta tandem est consuetudo ob quam jam per tot annos in quibusdam locis hæ facultates tribui consueverunt. Illud etiam experientia à vobis compertum erit delicatis quoque ac mollibus abstinentiam Quadragesimæ nullam inferre perniciem, neque plures ob hanc causam inter ægros vel mortuos recenseri. Hanc rationem et institutum nos ipsi secuti sumus Romæ et Bononiæ (cujus sedem adhuc retinemus) cum nuper Quadragesimæ tempus ageretur.

(101) R. P. Paulus Gabriel Antoine tract. de Virtut. Moralibus, append. quæst. 5, proponit: An toties quis peccet mortaliter quoties die jejunii sumit refectionem iteratam? Et respondet: Non pauci affirmant. Quia juxta omnes toties quis peccat quoties carnes comedit, quia præceptum abstinendi a carnibus est negativum. At præceptum abstinendi a pluribus refectionibus est etiam negativum; nam non præcipi unam refectionem, sed præcise plures refectiones

Si vos id quoque præstabit, neque facit nobis pro universa civitate vel diœcesi facultatem solvendi Quadragesimæ abstinentiam postulabit, vel si necessarium id arbitremini non aliter quam servatis præmissis conditionibus dispensationis instantia ad nos deferetur, non solum ii fructus provenient quos jam indicavimus, sed etiam repulsæ pudorem evitabit, nosque pariter ea molestia vindicabit quam ferimus, dum votis vestris minime obsecundamus. Postremo vos omnes peramanter amplectimur, et apostolicam benedictionem vobis populisque vestris impertimur.

Datum ex arce castri Gandulphi, die 10 Junii 1745, pontificatus nostri anno quinto.

(36. Qui semel frangit jejunium, et eadem die sæpius comedit, si frangit jejunium esu carni, peccat toties mortaliter quoties iterum comedit carnes. *Communis*. (37. Si vero frangit sola replicata refectione cum cibus die jejunii permissis, variant doctores. Castropal., tract. 23, p. 2, § 2 n. 8; Fagundez, præcept. 4, lib. 1, cap. 4, num. 8, et alii ab ipso citati; Diana, par. 1, tit. 9, resol. 44, cum quatuordecim aliis ibi citatis; Mastrius, disp. 14 Theolog. moral., n. 9; Reiffenstuel, Theolog. moral. tract. 10, de Præcept. Eccles., dist. 2, quæst. 2, n. 20; Felix Potestas loc. cit., num. 2846, et alii, dicunt non peccare mortaliter, nisi per secundam comestionem, non vero per tertiam, vel per alias subsequentes. Et ratio istorum est quia præceptum jejunii non obligat ad impossibile; posita autem secunda comestione, impossibile est ut quis unica refectione contentus sit, adeoque peccatur tantum in secunda comestione, et non aliis, quia statim ac illa posita est, violatum est præceptum jejunii, et amplius non obligat. Medina autem, Maj. Montes, Covarruv., Molan., Silvester., Loth., et alii multi apud La Croix loc. cit., num. 1265, valde probabiliter tenent, peccare mortaliter quoties iterum sumit plenam refectionem, quia per negationem aliarum refectionum adhuc obtineri potest notabilis mortificatio carnis, quæ est finis legis. Vivald. vero, Diana, resol. 53; Illsung tom. IV, d. 1, n. 43, dicunt, in aliis comestionibus post secundam, ne quidem venialiter peccare. At ipse La Croix, loc. cit., recte dicit tenendum esse cum communissima sententia peccare saltem venialiter; quia est contra finem legis, qui est mortificatio carnis, et non esse plusquam veniale, docet cum aliis probabiliter Lessius l. iv, c. 2, n. 17 (101).

(38. Jejunium quamvis frangatur per iteratas veras refectiones, non frangitur tamen per alias sumptiones, non per modum cibi

nes prohibet. Ergo, sicut peccatur per quasvis comestiones carni, ita et per quamlibet et singulas refectiones ultra unam. Præcepta enim negativa violantur non solum per primum et secundum actum, sed etiam per quoscunque alios sequentes. Vide et rationes alias, ab auctore expositas, quæ potiores videntur rationibus auctorum id negantium. (Notæ Romani theologi.)

vel refectionis sed per modum medicinæ vel potus. Sic non solum non frangit jejunium sumere ipsas formales medicinas, sed neque universaliter electuaria seu confecta, cum principaliter non sumantur ut cibi, sed ut medicinæ. *Communis* cum S. Thoma 2-2, quæst. 147, art. 6, ad 3. Item non frangit jejunium qui ad confortandum stomachum debile mane sumit offam, frustum panis, saccarum, et hujusmodi, vel extra tempus refectionis bibit quacunquē de causa (102) et addit holum panis, amygdala, et hujusmodi, quia similia habent potius rationem medicinæ, ne videlicet noceat haustus quamvis per accidens nutriant, ut observant communiter DD. apud Laym., l. iv, tr. 8, c. 1, num. 7. (39. Sic pariter non frangit jejunium bibere extra tempus refectionis quemcunque purum potum, etiam vinum, cerevisiam, mulsum, etiamsi fiat non præcise ad sedandam sitim, sed etiam aliquantulum ad sedandam famem et nutriendum. Sic S. Thom. 2-2, qu. 147, art. 6, ad 2, et alii passim cum Navarr., c. 21, num. 13; Laym., lib. iv, tract. 8, cap. 1, num. 7; Castropal., part. ii, § 2, num. 4; Tambur. in Decal. lib. iv, cap. 4, § 2, num. 4; Diana, par. 1, tract. 9, resol. 23, contra S. Antonin., Alens., Richard., Rosell., Silvestr., et alios, et ratio a S. Thoma et aliis allata est, quia Ecclesia diebus jejunii prohibet solum ea quæ per se ordinantur ad nutriendum corpus; potus autem quicumque purus per se non ordinatur ad nutriendum corpus; sed potius ad sitim extinguendam, naturam refrigerandam, et cibi concoctionem adjuvandam; et quamvis vinum, cerevisia, mulsum per accidens aliquantulum nutriant, eorum tamen Ecclesia rationem non habuit, adeoque, etc.

(40. Jejunium non frangit, et licita est sumptio caffèi, thæi, salviati, et cocholati, in die jejunii, quando illa sumuntur medicinaliter ad curandam infirmitatem realem: *Communis*. (41. Si tamen sumantur non medicinaliter, variant doctores, et maxime de cocholato, quod jejunium non frangere absque ulla limitatione tenent Hurtadus, Lopez, et plures alii apud Tambur, tom. I, pag. 135; Leandr., de Præcept. Eccles., tract. 5, disput. 5; Dianam, part. xi, tract. 6, resol. 33. Idem tenet Henric., verb. *Jejunium*, referens Urbanum VIII, oblatis ingredientibus, et in ejus conspectu confecto cocholato. de illo gustato dixisse esse et manere potum. Idem etiam, ut testantur plures doctores apud Illsung, t. IV, d. 1, num. 39, responderunt Gregor. XIII, S. Pius V, et Paulus V. Ipsi accedit consuetudo, et timoratorum

(102) Non est probata theologis gravioribus Ferraris assertio quæ putat jejunii legem non violare qui extra tempus refectionis bibit quacunquē de causa. Nam si in fraudem legis jejunii bibat, et quidem frequenter, hoc est, si bibat non per modum potus, sive ad extinguendam sitim et faciliorem digestionem procurandam, sed ad sensum famis eludendum et ad nutritionem habendam, quæ ventris famem propulset, tunc contra legem jejunii agere eamque violare videtur. « Legem enim violat, qui in fraudem

doctorumque virorum religiosorum usus sine scrupulo. E contra plurimi alii cum Castropal. loc. citat., part. ii, § 2; Boudenvio, part. ii quæst. 7, in Ventilabro Medico Theologico; Tambur., loc. cit., consideratis ingredientibus et vi nutritiva illius, docent frangere jejunium. Probabilior tamen et securior sententia cum Leandro, de præceptis Eccl., tract. 5, disp. 5; Diana part. xi, tract. 6, resol. 53; Felice Potest., loc. citat., num. 2877; Remigio. Escobar, et aliis, apud ipsos docet cocholatum non frangere jejunium, si id quod est cibi misceatur aquæ in minori quantitate, ita ut superabundet aqua; quia tunc, cum bibatur tenue, habet rationem potus, et potus ab Ecclesia non prohibetur. Si vero id quod est cibi misceatur aquæ in majori quantitate, ita ut superabundet cibus, tunc dicit frangere jejunium: quia cum tunc coquatur instar densæ pultis, habet rationem cibi, et sic videtur ab Ecclesia prohibita ejus sumptio, eo vel maxime quod in eo casu valde opponitur fini præcepti jejunii, qui est maceratio carnis, cum cocholatum similiter sumptum sit præcæteris cibus nutritivum et elevativum spirituum vitalium, ut experientia patet. Hinc etiam Benedictus XIV, Institution. Eccles. 15, § 10, potum cocholati die jejunii tolerat; vix tamen admittit majorem quantitatem usitata; nec omnino tolerat sæpius eadem die iterare.

(42. Collatio seu refectionuncula vespertina, etiam ad nutritionem sumpta, est licita; *Communis*. (43. Pro qualitate tamen ciborum in hac vespertina refectionuncula sumendorum varia varii sentiunt doctores. Aliqui enim volunt talem refectionunculam sumendam esse in modico pane et fructibus seu herbis, et non in cibus proprie dietis, ut sunt omnes pisces cocti, ova, lacticia, legumina, cocta, aliique cibi substantiales. Alii concedunt modicum casei, butyri, lactis, pultis amygdalinæ, et hujusmodi. Alii permittunt panem coctum cum amigdalibus, seu coctum in aqua aut alio liquore una simul cum sale. Alii dicunt licere comedere parvos pisces. Alii concedunt omnis generis eibos quorum comestio licita est in prandio die jejunii, modo servetur quantitas. Alii permittunt juscula cocta ex cibus illis qui liciti sunt in collatione, v. g., ex vino vel cerevisia, pane, herbis, fructibus, oleo, vel butyro condita. Alii docent in collationuncula non esse attendendam qualitatem ciborum, sed quantitatem tantum, adeo ut ex omnibus cibus qui die jejunii licite possunt sumi in prandio, etiam piscibus, leguminibus, placentis, ovis, lacticiis, etc., in modica quantitate liceat sumi etiam in vespertina

legis aliquid facit, » ut ait S. Thom. in 4<sup>a</sup>, dist. 45, quæst. 3, art. 4, ad dub. 1, num. 17, de eo loquens, « qui potat extra horam unicæ comestionis, qui non dicitur bis manducare, et propter hoc ne statutum Ecclesiæ frangit, nisi in fraudem faciat; quia legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit. » Itaque non adeo certum est legem jejunii non infringere qui extra comestionem quacunquē de causa bibat, ut auctor pronuntiat. (Notæ Romani theologi.)

refectiuncula seu collatione. Sic Cajetan. verb. *Jejunium*, cap. 1, in fine; Marcand., Tribunal., par. II, tract. 12, tit. 13, quæst. 3, dub. 1, et aliis citatis Bonac. de Legibus, disp. ultim., punct. 3, quæst. 1, quam sententiam omnino probabilem et tutam esse dicit Sporer., loc. cit., num. 32. Unde in tanta varietate opinionum, salvo meliori iudicio, dicerem ego servandam esse consuetudinem et praxim quam in qualibet regione et provincia sequuntur timorati. Et ratio est quia, cum collatio seu refectioniuncula vespertina non sit ab Ecclesia universali instituta, sed tantum a particularibus paulatim introducta, et tandem a S. Sede tolerata, eo modo sumi debet quo fuit in singulis provinciis introducta et a timoratis recepta, Vide Sporer. loc. cit., a n. 19 ad 32; La Croix, lib. III, p. 2, a n. 1297 ad 1303, ubi multa ad rem.

(44. Sic etiam pro quantitate ciborum in hac vespertina refectioniuncula seu collatione sumendorum, varii varia sentiunt. Aliqui enim concedunt solum tres uncias, alii quatuor, alii sex, alii octo. Alii rectius docent non posse unam generalem pro omnibus quantitatem secundum pondus et mensuram determinari, sed variam esse posse pro varietate personarum, et ætatis, complexionis, occupationis, item regionis calidioris, vel frigidioris. Et equidem verissimum est: sine dubio enim plus indiget et sumere potest homo provecæ ætatis quam alius ætatis consistentis, homo pluribus occupationibus vel laboribus exercitatus, aut continuis studiis deditus aliisque negotiis fatigantibus caput, quam omnimode vacans; in primis enim spiritus magis deficiunt. Item plus indiget et sumere potest degens in regionibus frigidioribus quam in calidioribus.

(45. Ut autem aliqualis recta regula assignetur pro omnibus, varii dicunt probabilis modicam et licitam, sine scrupulo quantitatem pro collatione seu refectioniuncula vespertina censerent quartam vel quintam partem cœnæ ordinariæ, quam quis alias spectata sua persona, ætate, conditione, occupatione, fatigatione, regione, ordinariæ ad sufficientiam naturæ sumere solet. Regin., tom. II, lib. IV, num. 185; Layman, loc. cit., n. 9; Busemb., lib. III, part. II, cap. 3, dub. 1; La Croix, ibid., num. 1299; Sporer, loc. cit., num. 26; Filliuc., tract. 2, part. I, cap. 2, quæst. 7, num. 33, dicens ita decisum fuisse in celebri academia theologorum, qui omnes in quartam partem consenserunt. Idem probat Escob., E. 12, cap. 3, num. 61, et alii. Et ratio est, quia etiam in aliis præceptis, ut auditione missæ, recitatione horarum, et hujusmodi, semper quarta pars censetur modica et non notabilis (nisi totum esset valde notabile magnum); unde cum homo pro cœna ordinariæ non ita magnam quantitatem comedere soleat, merito quarta, vel quinta pars cœnæ ordinariæ censerentur potest quantitas modica, quam quis pro collatione seu refectioniuncula vespertina licite sumere potest. Verum, salva omni debita reverentia, ultra quod allata ratio etiam in quartam par-

tem prandii detorqueri posset, licet quarta pars cœnæ respectu cœnæ, aut prandii respectu prandii, dici possit modica, non tamen respectu collatiunculæ et jejunii; quemadmodum perpendiculari fit palam. Unde arbitror esse dicendum quatuor vel quinque uncias pro refectioniuncula esse quantitatem servandam, nisi circumstantiæ superius recensitæ vel consimiles aliter expostulent legitime. Atque reminiscantur laxi jejunium ad carnis passionumque mortificationem, peccatorum expiationem, et temporis acceptabilis salutem consequendam, institutum esse, et nec tantillum prioribus Ecclesiæ temporibus fuisse in usu pro refectioniuncula. Accedit nunc quoad supradicta attendendam esse apostolicam decisionem Benedicti XIV, qui ad 2 dubium: « An quibus concessum est vesci carnibus possint in vespertina refectioniuncula ea quantitate carnis vesci quæ jejunantibus permittitur? Respondit non licere, sed opus habere eo cibo eaque uti portione quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulousæ conscientiæ, » ut patet in sua encyclica epistola data sub die 8 Julii 1744, et ad litteram adducta sub num. 35. Atque ad rem debent hic opportune observari quæ novissime adduxit D. Alphonsus de Liguori in sua Theologia Morali, lib. III, tract. 6, cap. 4, de Præceptis Ecclesiæ, dub. 1, sub num. 1027, ibi: Hic notandum quod nuper per quemdam confessarium supplicatus fuit SS. pontifex Benedictus XIV ut explicaret an revera liceret in serotina collatiuncula parum casei sumere iis qui in Quadragesima et vigiliis sunt dispensati ad lacticinia. Pontifex supplicationem transmisit ad S. Pœnitentiariam, quæ sic rescripsit: « Sacra Pœnitentiaria, optime conscia mentis Sanctitatis Suae, ex speciali auctoritate ejusdem respondet, non licere: » rationem afferens quod illud *jejunantes* expressum in bulla *Libentissime* præfati pontifici Benedicti XIV (ubi dictum fuit dispensatos ad carnes vel ad lacticinia, « opus habere eo cibo eaque uti portione quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulousæ conscientiæ ») intelligitur de rigorose jejunantibus quadragesimali jejunio, in quo tam carnes quam ova et lacticinia vetantur.

Deinde dubium subortum fuit an S. Pœnitentiaria illud: *optime conscia mentis*, etc., dixerit ex sua interpretatione vel ex proprio oraculo Pontificis? Idecirco idem confessarius iterum Papam supplicavit ut ipsemet mentem suam explicaret. Venit responsum (quod ego ipse authenticum observavi, et nunc apud me est), in quo sic dicitur: « Sacra Pœnitentiaria de mandato SS. Domini, qui suis ipsis oculis retroscriptam epistolam dignatus est legere, respondet, vera esse et pro veris habenda quæ constat ab eadem pœnitentiaria fuisse rescripta. Datum Romæ, in pœn., die 23 Julii 1756. Sic ille expresse ad litteram. »

(46. Tempus ordinarium sumendæ collationis seu refectioniunculæ vespertinæ sine dubio est vespertinum, unde qui absque omni causa pro mero suo libitu illud commutat

sumendo mane collationem et vespere prandium seu cœnam, peccat saltem venialiter, quia pervertit receptam consuetudinem et universalem uniformitatem Ecclesiæ; *Communis* cum Layman, lib. IV, tract. 8, cap. 11, num. 10. Si vero aliqua justa causa interveniat, v. g. copia negotiorum non permittentium sumptionem prandii in meridie, vel periculum infirmitatis, occasio itineris, et hujusmodi, nullimode peccat. Rursus *Communis* cum Marchant., Tribunal., part. II, tract. 2, tit. 3, quæst. 3, dub. 3, ubi sic præcise dicit: Ratio mihi clara est, quia si mater Ecclesia cum comedente in meridie dispensat ut collatiunculam vespere sumat ad confortationem, ne deficiat, in hoc condescendens humanæ infirmitati; potior sane dispensationis ratio est in eo qui, ut in die iter agat, aliudve negotium commode exerceat, ad vespem usque suam cœnam transfert, et mane collatiunculam sumit; et in eo est majus periculum deficientiæ. Ubi igitur eadem ratio militat, idem omnino securam conscientiam concludi existimo. Et hæc praxis communi usu timoratorum in dies confirmatur.

(47. Hactenus ille; imo Reginald. lib. IV, num. 186; Mastrius in Theolog. Moral., disp. 12, num. 8; J. Sanch., disp. 53, num. 2; Tambur., loc. cit., § 3, n. 10; Sanchez, dub. 27; Azorius, et quidem alii probabile esse censent talem nec venialiter peccare, quamvis sine speciali causa differat prandium ad noctem, dummodo sumat refectioniunculam hora consueta prandii, et non prius, nisi adsit alia justa causa. Et ratio istorum est quia, dicunt ipsi, talis modus jejunandi, neque ex toto, neque ex parte solvit substantiam jejunii. Quinimo talis modus jejunandi magis conducit ad finem jejunii, qui est mortificatio carnis, unde et olim in Ecclesia primitiva refectioniuncula sumebatur ad vespem in Quadragesima, et ad horam nonam, quæ est tertia post meridiem in aliis jejuniis, ut patet ex adductis sacris canonibus et Patribus sub num. 15.

(48. Tempus ordinarium comestionis seu prandii in die jejunii, scilicet horam sextam proximam meridiei notabiliter, v. g. per unam vel alteram horam, anticipare absque causa voluntarii graves auctores esse peccatum mortale, quia notabili anticipatione refectionis ante horam determinatam notabiliter violatur jejunium; Argum. cap. *Solent*, 47, dist. 1, de Consecr., ubi olim præveniens refectionem horam vespertinam in Quadragesima non censebatur jejunare, ibi: « Qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint quam vespertinum celebrent officium. » Sic Navarr. in Manual., c. 21, num. 27; Marchant. in Tribunal., par. II, tr. 12, tit. 3, q. 2; Covarruv., Paludan., Cajetan., Sancius, et alii. Communior tamen et probabilior sententia tenet non esse peccatum mortale, sed veniale tantum, etiam notabiliter et sine justa causa prævenire dictam horam refectionis seu prandii. Et ratio est quia sic non violatur substantia præcepti jejunii, sed solum circumstantia quædam

accidentalis et secundario requisita ad jejunium ecclesiasticum. Sic Innoc. Angel. Tolet., Medina, et alii, cum Lessio lib. IV de justit. et jur., c. 2, num. 13; Layman, loc. cit., num. 10 et seq.; Sporer, loc. cit., num. 23; Filliuc., loc. cit., num. 70, 71, 72, et plurimis citatis Diana par. I, tract. 9, resol. 33; Reiffenst. Theol. mor., loc. cit., num. 33; Busembaum, et La Croix, loc. cit., num. 1278, et alii passim. (49. Si autem aliqua justa causa subsit, ut si iter sit ineundum, si hospites dimittendi, si concio habenda, lectio frequentanda, aliudve negotium in meridie, et hujusmodi, nullum erit peccatum ne quidem veniale. *Communis*. (50. Sicuti nullum est peccatum in privilegiatis, ut in religiosis qui per privilegium etiam sine causa possunt una hora anticipare; La Croix I. III, p. II, n. 1271; Tamb. c. 4, § 4, n. 3; Steph. I, d. 5, n. 121, et alii passim.

(51. Prandium seu refectionem interrompere, vel dividere in die jejunii sine justa causa non licet. *Communis*. (52. Justa tamen interveniente causa, ut paupertas, officium, negotium, licet: *Communis*. Si enim interveniat paupertas, qualis est eorum qui ostiatim mendicant, et omnium aliorum qui non habent quo unica refectione sufficienter reficiantur, utique poterunt isti refectionem suam interrompere cum intentione continuandi, ubi novam eleemosynam invenerint et novum cibum habuerint. Sic si interveniat officium quod est eorum qui tempore prandii ministrant vel legunt ad mensam, isti possunt sumere cibum etiam in magna quantitate per horam circiter ante prandium suum, et postea hoc complere expleto suo servitio et officio. Item si interveniat negotium quale est eorum mercatorum qui, refectione, seu cœna nondum finita, ob occurrentes emptores alias apud se non empturos, discedere coguntur a mensa nondum plene et sufficienter saturati; isti enim, confecto negotio, reverti possunt ad eam refectionem finiendam præsertim intra modicum tempus, v. g. unius horæ; censetur enim moraliter una refectioni propter intentionem; *Communis*.

(53. Sic non peccat, qui inter prandendum garrat, nugatur, nova nuntia legit, et hujusmodi, si tempus refectionis non excedit duas horas, quia ordinariæ tantum temporis conceditur refectioni sumendæ, nec censentur tunc partes moraliter dividi. (54. Item, si quis finierit prandium, et plicarit mappulam cum proposito nihil amplius comedendi, seu surrexerit e mensa etiam gratis actis, potest, intra quadrantem circiter mutata voluntate, iterum assidere et comedere, quia moraliter censebitur una comestio. (55. Item, qui mensam relinquit in uno loco intendens absolvere in alio, ubi exspectatur, non peccat saltem graviter, dummodo prandium non excedat duas horas, nec intervallum quadrantem circiter, quia diversitas locorum non videtur hic ad rem facere præsertim ubi id requirit honestas. (56. Prandium protrahi potest licite ad duas horas, non autem ultra: Tamburin. lib. IV, c. 4, § 2, num. 15;